



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris D. Hludowici Blosii Abbatis Lætiensis Ordinis S. P. N. Benedicti Tomus Posterior Margaritum Spirituale

Blois, Louis de

Monasterii Campidonensis, 1672

§. V. Merita Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45885)

SPREU-
LUM SPI-
RITUALI-
EN.

Si vel unicam Saluationem Angelicam cum tui ipsius abnegatione ad perpetuam Dei laudem protuleris, ea & Deo gratior & tibi utilior erit, quàm si totum Psalterium sæpius ex propria voluntate sive cum proprietate legeres.

2. *Intentio recta nobilitat opus minimum.*
Nulla actio tam modica est, quæ si ad Deum purè referatur, non multùm profit animæ. Unde qui etiam flosculum unum propter Deum in altari reponit, vel imaginem alicuius Sancti sincera devotaque intentione exornat, grandem omnino mercedem recipiet. Sed & qui caput tantummodò inclinat aut flectit genu ad honorem Dei, non perdet mercedem suam. Opta & pete à Deo, ut ex singulis verbis tuis, ex singulis passibus pedum tuorum, ex singulis motibus corporis tui, & ex singulis buccellis quas edendo sumis, resultet eximia laus Conditoris: opta & pete, ut singulæ respirationes tuæ die ac nocte Deum honorent atque glorificent, eique amorem exhibeant: reverà enim fiet quod rectè & sanctè opraveris atque petieris.

§. IV. GRATIÆ AUXILIA.

2. *Voiq; invocandū Dei auxiliū.*
Quando vis quidpiam aggredi, erige cor tuum ad Dominum, & pete consilium ab eo, illumq; invoca: scienste neque agere, neque dicere quidquam nosse quod ei sit acceptum, nisi ipse gratiã suã te adjuvet.

3. *Internū motus observādū*
Obserua diligenter quid Deus in corde tuo loquatur, & utrùm

ipse rectaque ratio permittat ut hoc vel illud facias. Si incertus es utrùm propensio tua sit à DEO, attende an voluntatem Dei sequi velles, si eam perspectam haberes. Si enim invenis te ita profus affectum esse, ut ipsam Dei voluntatem sequi velles, & humiliter oras Deum ut te illuminet ac doceat: jam id ad quod crebrius intus traheris, confidas esse à Deo, modò à sacris Literis, & Ecclesiæ dogmatibus non discordet.

Convenit nihilominus, ut libenter Dei voluntatem ab aliquo homine Deum timente & illuminato petas, idque maxime in rebus arduis, propter dolos Satanæ sese nonnumquam transfigurantis in Angelum lucis.

§. V. MERITA CHRISTI.

Si bona opera & exercitia tua copulaveris unierisque actibus & exercitiis Christi, atque ita obtuleris ista Deo in laudem æternam; erit sanè ista oblatio ipsi Domino longè gratissima, & opera tua claritatem dignitatemque ineffabilem recipient ex actibus Christi quibus unientur. Plumbum tuum (ut ita dicam) murabitur in aurum optimum, & aqua tua in vinum excellentissimum. JESUS & MARIA sint semper charum refugium tuum, & chara spes tua: tu eis per devotam orationem commenda omnes necessitates tuas atq; negotia.

+ Ista pia & utilis praxis refertur ex Blosio apud R. P. Ieremiam Drexelium in Amussi seu Recta intentione lib. 2. cap. 8. §. 7.

CA-